x.

Augustus Tertius Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq; Nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ Princeps et Elector.

ad Arum Fisci 1899
797.

1.

Significamus præsentibus Literis Nostris quorum interest universis et singulis. Consensisse Nos et permisisse, consentireq; et permittere præsentibus Literis Nostris Generosis Theodoro Woyczynski, et Magdalenæ de Dobiechie primô votô Gołuchowska Conjugibus legitimis, Vexilliferis Ravensibus, ut possint et valeant de omni et integro Jure suo advitalitio, quod Ipsis super Bonis Regalibus Ucisków dictis, in Palatinatu Sandomiriensi, Districtu Vislicensi sitis, servit et competit cedere, illudq; in Personam Generosi Josephi Dunin transferre, et transfundere. Quæ quidem Cessio, Jurisq; transfusio postequam coram Actis quibuscunq; Authenticis Regni facta et recognita fuerit, Nos eam ratam et gratam habituri sumus, uti eam quæ prævio hocce Consensu Nostro peragetur. Vigore Cujus Cessionis, Jurisq; transfusionis in virtute præsentis Consensus Nostri factæ, dicta Bona Regalia Ucisków cum Omnibus Prædijs, Curijs, Ædificijs, Agris, Campis, Pratis, Pascuis, Nemoribus, Sylvis, Gajis, Lacubus, Fluvijs, Fluminibus, Piscinis, Braxatorijs, Molendinis, Tabernis, Subditis, eorumq; laboribus, Censibus, Dationibus, Commodis, et emolumentis, cunctis deniq; attinentijs et pertinentijs, eò antiquitus et nunc spectantibus, nullis penitus exceptis, sed ita late, Longe, et circumferentialiter, prout ab antiquis et immediatis Possessoribus tenebantur, præfatus Gnosus Dunin tenebit, habebit, et possidebit, ad extrema vitæ suæ tempora. Promittimus autem pro Nobis, et Serenissimis Successoribus Nostris, non esse Nos, neq; Srmos Succres Nostros ab usu et pacifica Possessione dictorum Bonorum Ucisków amoturos, vel alienaturos, neq; amovendi, vel alienandi cuipiam potestatem daturos, sed salvum et integrum Jus Advitalitium Eidem Gnoso Dunin conservaturos, quod et Srmi Succres Nostri præstabunt. Juribus Nostris Regalibus Reipublicæ Ecclesiæq; Sæ Catholicæ salvis manentibus. In quorum Fidem præsentes, Manu Nostra subscriptas, Sigillô Regni communiri jussimus. Datt Varsaviæ die XXI Mensis Augusti Annô Domini MDCCLXI Regni verò Nostri XXVIII Annô.

Augustus Rex

Consensus Cedendi de Bonis Regalibus Ucisków dictis, in Palatinatu Sandomiriensi Districtu Vislicensi sitis Generosis Theodoro Woyczynski et Magdalenæ de Dobiechie primô votô Gołuchowska Conjugibus legitimis, Vexilliferis Ravensibus, in Personam Generosi Josephi Dunin datur.

Antonius Skorski L. S. R. Mtis et Sigilli Rni Secretarius

A

Actum & Sabbatho pridie F. S. Nicolai Pontificis Anno Dni 1708.
Officium praesens CC Nrae Civitatis Cr. Rzijn ad personalem Oblationem Gsi Josephi Zielinski Consensum Introcentenrom in Acta Sua suscepit.

Suscepti Inductio

Pro Cancellariatu

Illmi Excellmi et Rndmi Dni Michaelis Comitis de Granow Wodzicki Episcopi Premysliensis Abbatis Commendatarij Convenensis et Clarae Tumbae ProCancellarij Regni.

Sigillatum

No 52

2

444

52.